

[‘Carcere montoso clausus Ballista tenetur;  
securi fraudis pergite nocte, viri’.]

[‘Quid trepidas tandem gressu pavitante viator?  
nocturnum furem saxeus imber habet’.]

80 [‘Ballistae vitam rapuit lapis: ipse sepulcrum  
intulit. umbra nocens pendula saxa tremit’.]

[‘Crimina latronis dignissima poena coerces:  
duritiam mentis damnat ubique lapis’.]

hinc culicis tenui praelusit funera versu:

85 ‘Parve culex, pecudum custos tibi tale merenti  
funeris officium vitae pro munere reddit’.

tum tibi Sironem, Maro, contulit ipsa magistrum  
Roma potens, proceresque suos tibi iunxit amicos:  
Pollio Maecenas Varus Cornelius ardent,  
90 te sibi quisque rapit, per te victurus in aevum.

Musa refer quae causa fuit componere libros?  
sumpserat Augustus rerum moderamina princeps.  
iam necis ultor erat patriae, iam caede priorum  
perfosos acies legitur visura Philippos.

95 Cassius hic Magni vindex et Brutus in armis  
intereunt. victor nondum contentus opimis  
emeritas belli spolis ditasse cohortes  
proscripsit miserae florentia rura Cremonae,  
totaque militibus pretium concessa laborum  
100 praeda fuit: violenta manus bacchata per agros.  
non flatus, non tela Iovis, non spumeus amnis,  
non imbres rapidi, quantum manus impia vastant.  
Mantua, tu coniuncta loco, sociata periculis: